



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

III. Utiliùs Scandalum nasci permittitur, quàm Veritas relinquatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

at benignam partem interpretatione reo favorabili amplectimur, vigore *Reg. Odi* 15, in 6. & huic consonantium ejusdem Libri Regularum 30. & 49. quarum illa; ut in obscuris minimùm sequamur: ista; ut in penalis benigniorem interpretationem amplectamur, admonemur, *Glossa hic V. Meliorem, & Panormit. n. 7.*

## REGULA III.

*Utilius Scandalum nasci permittitur, quam Veritas relinquatur.*

## SUMMARIUM.

1. Scandalum aliud Activum est, aliud Passivum:
2. Et hoc Pharisæicum vel Pusillorum.
3. Veritas alia Vita & alia Justitia est vel Disciplina.
4. De quarum primâ Regula procedit.
5. Illicitum semper est scandalum Activum.
6. Et si peccato alieno aliquando licitè quis cooperetur.
7. Scandalum Passivum aliquando licitè permittitur:
8. Sape tamen bona actionis omissione vitandum est.

1. **S**candalum generatim dicitur Operatio, quâ proximo spiritualis ruinæ occasio præbetur: estque vel Activum, vel solummodo Passivum, secundum D. Thomam 2, 2. q. 43. art. 1. Activum & propriè dictum scandalum est dictum vel factum sive externa operatio vel omisso minus recta, hoc est, ex se mala & prohibita, vel saltem mali speciem referens, & proximo præbens occasionem ruinæ spiritualis: cujusmodi

scandalum dat non solum is; qui alterum jussu, consilio, suasionem &c. ad peccatum inducit: sed is etiam, qui coram altero exercet vel omittit actionem, quæ ejusve omisso suâ naturâ peccati occasionem præbere potest; ut, si quis coram innocentibus impuros sermones misceat, die Festo & ab Ecclesia præcepto omitat auditionem Missæ sacrificii, vel die interdico coram aliis comedat carnes, quamvis ob occultam causam sit excusatus. Passivum & merè per accidens scandalum dicitur dari, cum præter operantis intentionem, & præter naturam & qualitatem operis, ex eo ejusve omissione quis accipit occasionem peccandi, Azor p. 1. *Instit. lib. 12. cap. 16. q. 1.* & Laiman. *Lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 1.*

Passivum hoc, sive non datum, sed acceptum, aliquando dicitur & fuit scandalum Pharisæorum, ex actionibus Apostolorum, nec mali specie infectis: & ex ipsius Christi Domini operibus omni ex parte perfectis; ac proinde nullâ justâ causâ, sed ex malitia tantum sive passis ruinam spirituales; aliquando Pusillorum est, cum scilicet proximus ex opere bono vel indifferente occasionem ruinæ accipit vel ex mera fragilitate, vel ex ignorantia; quod illicitum existimet aliquid, quod nullò Jure vetitum vel omnino laudabile est. Ita ad mentem S. Basilii in *Reg. Brev. interrogat. 6.* aliorumque DD. Palao *Tract. & disp. 6. p. 8. n. 1.*

Veritas etiam secundum *Gloss. hic V. Veritas*, triplex est. Vita, Justitia, Disciplina: quarum prima & ab omnibus custodienda in studio vivendi secundum rectam rationem & sine peccato: altera, iudicibus proposita, in iudiciorum cum Jure & legibus conformatione consistit. Postrema, eaque Prælatorum propria, sita est in cura; ut à subditis omnia debito ordine modòque præstentur, eâ

Yyy

tur, eâ



tur, eaque non præstantium correctione, Glossa V. cit.

Harum Veritatum postrema aliquando, quando scilicet ex directione vel saltem correctione subditorum exasperatio aut graviora mala timentur, aliquamdiu prudenter intermittitur. Altera quoque, licet custodienda eatenus sit; ut insons non condemnetur: &, quod suum est, contra jus nemini auferatur: aliquando tamen temperari etiam ipsa potest pœnæ mitigatione vel condonatione, Strein. ad hanc Reg. n. 1. in fine; ut proinde proposita Regula de prima seu vitæ veritate & integritate procedat, ejusque

4. Sensus sit, Scandalum permittendum potius, quam actione aliqua peccaminosa vitæ honestas & integritas deseratur vel minuat. Quoniam verò scandali evitandi obligationem, aliquando dari, extra omne dubium est, relatæ Regulæ sensus planior reddendus est usu recurrentium & notabiliorum casuum declaratione.

5. Et primò quidem omni casu illicitum est scandalum Activum, quò proximus vel expressè vg. jussu, consiliò: vel tacitè, vg. actionis peccaminosæ coram eo positæ pravò exemplò ad peccandum inducitur, cit. Doctor Angelicus q. 64. art. 6. Navarrus Manual. cap. 17. à n. 262. & Suarez in 3. p. tract. 3. disp. 18. s. 1. Quod exploratum omnino est ex verbis Servatoris, *Va homini illi, per quem scandalum*, propriè dictum & Activum, *Venit*, Matth. cap. 18. v. 7. Ratio est; quia repugnat præcepto Juris Naturalis, proximi in peccatum inductionem, tanquam actum Charitatis & Misericordiæ virtutibus contrarium, ventantis: quod præceptum cum Negativum sit, semper & pro semper, hoc est, o. omni casu obligat, ex recepta doctrina cit. Suarez Lib. 2. de LL. cap. 13. n. 1, ut

in Proëmio n. 27. est dictum.

Neque, scandalum hoc aliquando licet præberi, evincitur ex eo; quòd cooperari aliquando liceat peccato alieno; sic enim sacerdos Eucharistiam publicè, imò & privatim ministrare potest ac debet ei, quem indignum novit ex solâ confessione Sacramentali. Sic fabri & opifices alii sine peccato laborant in reparanda veteri Synagoga Judæorum & extruendo novo templo hæreticorum, ubi ea à Magistratu legitimè permittuntur. Sic conjux debitum licitè reddit conjugi, quem Continentiæ votò obstrictum novit & à proposito nequit avocare &c. Non, inquam, exempla hæc contrarium evincunt, cùm; quia etiam Deus ad actiones hominum peccaminosæ concurrat, quin peccati author existat: tum verò; quia nunquam licet alterius actioni peccaminosæ cooperari formaliter cum intentione peccandi: sed materialiter duntaxat, exhibendò objectum vel ministrandò materiam: idque etiam non nisi concurrentibus tribus conditionibus: quarum prima est; ut cooperationis actus in se moraliter bonus aut saltem indifferens sit. Secunda; ut non fiat intendendò peccatum: neque nisi justâ vg. necessitatis aut utilitatis causâ exposcente vel suadente. Tertia; ut cooperans, peccatum, cui materialiter cooperatur, impedire non teneatur ex officio, vel saltem hic & nunc non valeat, sed id ex justa causa permittere possit, Laiman, cit. cap. 13. n. 4. & Busenbaum Medulla Lib. 2. tract. 3. cap. 2. art. 3. pr.

Secundo etiam Passivum, non Pharisæicum duntaxat, sed Pusillorum quoque scandalum permittendum potius est, quàm omittatur actio, quæ nec mala est, nec mali speciem habet, si eam non omitti propria vel aliena necessitas aut notabilis utilitas poscat, Reg. cit. D. Thomas 2. 2.



mas 2. 2. q. 78. art. 4. Navarr. in cau. 1. §. Si sacerdos, de Panis. disp. 6. Laiman. cit. Lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 1. & alii DD. secundum quos, urgente necessitate vel notabili utilitate suadente, mutuum ab eo, qui usuras exacturus: & Sacramenta peti possunt à parochio concubinario, qui ea sine prævia peccatorum confessione & contritione ministraturus non ignoratur: licet, iustà ejusmodi causâ non subsistente, neutrum licitè fiat.

8. Tertio, quin, merè Passivo Pusillorum scandalò insuper habitò, ad actionem, ejusve omissionem obligamur, quando eâ propriâ vel alienâ etiam corporalis salutis detrimentum vel grave damnum Reipublicæ impediri posse, rationabiliter judicamus, Laiman. l. cit. §. Tertio, ubi ex hac ratione hæreticos & malefactores alios, spirituali ipsorum ruinâ non attentâ, ultimò supplicio affici posse, observat. His tamen non obstantibus

Quarto, ad cavendum scandalum Passivum omitti vel exerceri actio debet, quando nec aliena nec propria necessitas vel utilitas ad eam nos cogit, Laiman. cit. n. 8. Ratio est; quia, cum tali casu sine incommodo possimus, spirituale proximi detrimentum impedire tenemur, Charitatis & Misericordiæ lege nos obligante.

Multò tamen major obligatio est cavendi scandalum Pusillorum quàm Pharisæicum; cum illorum ex ignorantia vel infirmitate: istorum autem scandalum ex perverâ voluntatis malitia accipiat: magis autem condescendum sit ex infirmitate, ignorantivæ, quàm ex mera malitia spirituale damnum patienti: & propterea Christus Dominus, sicut, *Va, ait, illi, qui scandalizaverit unum de pusillis*, Matth. cap. 18. v. 7. sic exiguam rationem Pharisæicæ malignitatis habendam verbò & exemplo suo docuerit apud

eundem Evangelistam, *Sinite, cæci sunt & duces caecorum*, cap. 19. v. 14. S. Thomas cit. q. 43. art. 7. & 8. Suarez de Charitate disp. 10. §. 4. n. 8. & Palao Disp. 6. cit. p. 16. n. 6.

## REGULA IV.

*Quod non est Licitum in lege;  
Necessitas facit Licitum.*

## SUMMARIUM.

1. *Necessitas alia Absoluta, alia Moralitatis;*
2. *Et hæc alia Extrema, alia Gravis, vel Communis;*
3. *Absoluta à pœna & culpa semper excusat.*
4. *Moralis nullam actionem Lege Naturali;*
5. *Positivâ autem veritam, si gravis, sæpe,*
6. *Non semper licitam reddit & corroborat;*
7. *Saltem, si recurri nequeat ad superiorem.*
8. *Communis necessitas non excusat.*
9. *Regula proposita sensus.*

**N**ecessitas est Vis quædam, actionem ejusve omissionem ita inducens; ut aliter fieri non possit: estque vel Absoluta vel Moralis, prout aliquid aliter fieri nequit vel simpliciter aut saltem naturaliter, vel solummodo moraliter, hoc est, sine magna difficultate. Posterior hæc sive Moralis necessitas ulterius trifariam dividitur in Extremam, Gravem & Levem seu communem. Extrema est, cum vitæ vel periculosæ infirmitatis: Gravis, cum sine honoris, famæ, fortunarum magno periculo: Communis, cum sine labore  
Y y 2